Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800

Quelle:
Copyright:

dyacono Iuthomiczl. in dicta noſtra eccleſia pragen. Secretario noſtro, Johanne de Duba ſancti Georgij in Caſtro, Nicolao de Znoyma Sancti Apollinaris pragen. Eccleſiarum Canonicis publicis notarijs ac alijs multis circa premiſſa teſtibus fide dignis. Anno domini M°. Quadringenteſimo Decimo Tercia Indictione. Atque haec omnia teſtimonio Notarii *Petri nati quondam Mathie de Mokrſko Clerici Cracouien. Dyoc.* corroborantur. Subſcriptum: *Finitus eſt ille libellus M. CCCC^mo. XVII. In vigilia Sancti Andree Apoſtoli.* Primaria haec ad naſcentem in *Bohemia Wicleſiſmum* Documenta defuiſſe videntur Editoribus Operum *Johannis Huſsi*, qui quidem in iis adhuc poſt tabulam latet.

VI. *fol. ult.* p. 2. adſcripta eſt *Stephani Carth.* noſtri Epiſtola ad amicum *Wilhelmum Kortelongenſem* Canon. *Olomuc.* qua Scriptum quoddam, quod *Wilhelmus* ab eo concinnari deſideraverat, comitatur, eumque oculis laborantem ſolatur. Scripti materies non exprimitur; enarrantur vero *Stephani* Lucubrationes *l. cit.* a *Pezio.* Dimidium praeſentis Epiſtolae alterum iterum *fol.* 247. quaerendum eſt. Sed neque ibi finitur.

DCLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 108
partim XIV. partim XV. Folior. 428. 4. per duas columnas exaratus et rubricis diſtinctus continet I. absque inſcriptione Doctrinam de Moribus verſu leonino concluſam hoc initio:

Cum nihil utilius humane credo ſaluti
Quam morum nouiſſe modos et moribus uti
Quod minus exequitur moroſi dogma kathonis
Supplebo pro poſſe meo monitu racionis &c.

Moroſi dogma Catonis Diſticha *Dionyſii Catonis* intellige; non enim Noſtro *Moroſus* δυσκολος eſt, ſed ἠθικος. Atque hac adpellatione comparet ipſemet in pluribus Sec. XV. Editionibus, dictus *Facetus Moroſus*, ut in *Quenteliana Colonienſi ſ. a.* 4. quae mihi adjacet, quacum collatus *Codex* jam uberior eſt, jam contractior, praeſertim circa finem, cui ſubſcriptum: *Explicit Morale Anno Domini MCCCC° III. in Die ſancti Amandi confeſſoris hora ueſperti-*

na. Autor hujus Carminis a pluribus Didaſcalis fortaſſis interpolati, qui Seculo XII. vixiſſe videtur, ſi fides ejus Commentatori in *Edit.* praedicta habeatur, *fuit quidam regens pariſieus, qui, ut dicitur, nominabatur Facetus.* Sed parum movet ejusmodi autoritas. Carmen ipſum cum *Catone* et aliis Ethicis iterum *Coloniae* 1520. 4. prelo ſubjectum eſt.

II. *fol.* 12. pernitida, ſed verborum contractionis nimium ſtudioſa Sec. XIV. manu ſequitur

Com-